


Sammelbd

2

+



S.

DISSE^TRAT^IO IN AVGVRALIS
DE
DECRETO
QVOD DE ELECTIONIBVS
EPISCOPORVM FIT
QVAM
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI

AD DIEM XXIV APRILIS MDCCXXXXII
PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SISTIT

IOHANNES CASPARVS BIRCKNER
NORIMBERGENSIS

ALTORFII NORIC.

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

DISCERNATIO INVOCARVPI

DECRETO

QD DNI HOMINIS

EPICORIAT

DISCERNITUR IN SENSU

CONSENSU

PRO VINCIBILIA

SUMMUS IN AEROPORTU HONORES

CONSENSU

APPROBATIONE ET DECREE

RESTITUTIO VINCULUM PAX

ET CETERA

JOHANNES GABRIEL BRUCKNER

NORWICENSIS

ACADEMIA MONS

TULSI COLLEGIO MUSICO ACAD.

1700

SACRI ROMANI IMPERII
PERILLVSTRIS AC LIBERAE REIPVBLCAE
NORIMBERGENSIS
SENATI
SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTIBVS GENEROSISSIMIS
ATQVE PRVDENTISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
DVVMVIRIS
TRIVMVIRIS
SEPTEMVIRIS
CONSVLIBVS
ET RELIQVIS
SENATORIBVS



PATRIBVS PATRIAЕ
SVBMSSE COLENDIS
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS
GRATIOSISSIMIS
OMNIS GENERIS FELICITATEM
PIA MENTE ADPRECATVR
ATQVE
DISSERTATIONEM HANC IN AVGRALEM
IN PERPETVI OBSEQVII REVERENTIAE
AC GRATI ANIMI
MONVMENTVM
D. D. D.
TANTORVM TAMQVE
ILLVSTRIVM NOMINVM
OBSEQVIOSISSIMVS CLIENS
IOH. CASP. BIRCKNER.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS
DE
DECRETO QVOD DE ELEC-
TIONIBVS EPISCOPORVM
FIT.

S. I.



Am pridem Iuris publici Doctores,
formam electionis Imperatorum
Rom. Germ. ab Episcoporum
electionibus repetitam fuisse, ob-
serua-

A 2

seruarunt, et nuper admodum ex instituto, *Iuris canonici reliquias in Imperatoris electione*, Vir Cl. G. L. BOEHMERVS, Iuris in Academia, quae Goettingae floret, Professor Publ. collegit. Harum etiam reliquiarum cum non minima sit decretum illud, quod de electionibus Impp. componitur, de illo quaedam in chartam coniicere consilium fuit, et ea quidem lege, ut prius de origine atque progressu huius decreti in Epp. electionibus agere, deinde uero quomodo ad Caesarum electiones translatum fuerit, atque quae ibidem habuerit fata, describere uoluerim. Sed cum tantum temporis non superfuerit, ut totam hanc tractationem absoluere potuerim, in prima tantum eius parte subsistere coactus fui, alteram suo tempore daturus. Antequam uero ad ipsam expositionem argumenti mei procedam, quid mihi sub decreti electionis nomine ueniat, declarabo. Nihil ergo aliud sub hoc decreto intelligo, quam: instrumentum illud, quod ab iis qui eligendi iure gaudent, de processu in electione seruato, et persona electi, componitur et subscribitur. Parum itaque refert, siue illud instrumentum in forma litterarum concipiatur, et ad illum qui electionem confirmare debet mittatur, siue tantum ad notitiam electorum, uel securitatem electi fiat, et nullo alio pallio induatur; semper id decretum elect. erit, si modo recensita adsint essentialia.

§. II.

Primis equidem Ecclesiae temporibus nullum decreti elect. nsum fuisse, facile ex forma et modo celebrandi electiones in ACTIS APOSTOLORVM descripto colligi potest. Immo cum nulla plane seculo post Christum natum I. Episcoporum electio fuerit, sed hi per successionem

sionem tantum ad primam sedem in confessu ordinis ecclesiastici peruererint (1), quis decretum tunc extitisse dixerit? Neque etiam tam alte origo eius repetenda est, ut eo ipso tempore, quo Episcopi eligi coeperunt, quod Seculo II. in Romana non Hierosolymitana Ecclesia primum factum fuisse contra BLONDELLVM probauit III. BOEHMERVS, (2) natum esse dicatur. Sine ullis enim ambagibus electiones tunc peragebantur. Populus uiua uoce et porrectis manibus siue per *Xenoto-*
viam, uti hanc uocem explicat ZONARAS (3), suffragium suum dedit, clerici accesserunt, et electum statim consecrarent, una enim Episcopi et presbyteri ordinatio tunc fuit (4). Nondum indigebat electio confirmatione, quae tamen occasionem et originem decreto ele^t. dedit (5). Omnes Episcopi aequales erant, et nullam potestatem ille, qui in metropoli prouinciae ecclasiam suam habebat, in reliquorum prouincialium uel personam uel electionem exercebat.

§. III.

Alio Seculo III. facies ecclesiae fuit, et electiones nouam plane induerunt formam. Iam Metropolitani praerogatiuam cum imperio quodam in reliquos in eadem prouincia Episcopos ex uariis causis sibi tribuebant,

A 3

bant,

1) HILARIUS in comment. ad Ephes. IV. et III. BOEHMERVS in dissert. iuris eccl. antiqui ad Plin. et Tertull. VIII. §. 3. scqq.

2) cit. dissertat. VIII. §. ult.

3) ad can. IV. Concil. Nicaen. ap. BEVERREGIVM. cf. IVSTELLVS in notis ad Cod. Can. Eccl. uniu. p. 85.

4) HILARIUS in Comment. ad I. Tim. III.

5) ZIEGLER tr. de Episcopis L. II. c. VIII. §. 1. et 2.

bant, et hi uicissim illis tanguam consecratoribus suis
reuerentiam exhibebant (6). Non amplius clerus et po-
pulus soli et libere eligebat. Metropolitanus enim Sy-
nodum prouincialium Epp. conuocabat ad locum ua-
cantis ecclesiae, eligebat deinde tota Ecclesia illum
quem sibi praefesse uolebat, et desuper decretum con-
ficiebat, quod ad Metropolitanum et congregatos Epi-
scopos dirigebat. Hi quidem electionem examina-
bant, et eorum iudicio, ut CYPRIANVS dicit (7), episco-
patus electo deferebatur. Ita rem modo laudatus CY-
PRIANVS in Epistolis suis, et AVCTOR qui circa haec
tempora constitutiones Apostol. supposuit (8), recen-
sent. Ex quibus illud deinde uberioris descripserunt P.
DE MARCA (9) et ZIEGLERVVS (10). Ad haec ergo tem-
pora natales decreti quod de electionibus fit, referendi
sunt. Necesse enim fuisse, ut instrumentum quoddam
uel decretum de persona electi et uotis eligentium com-
ponatur, ex quo Synodus deinde de validitate electi-
onis statuere possit, nemo facile negabit.

§. IV.

6) BOEHMER, in obseruat. ad P. DE MARCA, Obseruat. XII.
p. 38.

7) Ep. LXVIII.

8) L. VIII. c. IV. .Cuius uerba BLONDELLVS in Apologia pro sen-
tent. Hieronymi S. III. p. 392. retulit, et ex illis concludit:
*Vnde constare potest, clerumque plebemque conuenire, eligere,
nominare, gratum babere, postulare, testari, annuere, roga-
re, consensus decretum dare ante Constantini M. tempora ex
aequo confueuisse.*

9) de Concordia Sacerdot. et Imp. L. VI. c. II.

10) in tract. de Episcopis. L. II. c. I.

§. IV.

Frequentior iam usus decreti nostri seculo IV. deprehenditur. Cum enim CONCILIVM NICAENVM (11) Metropolitanis τοις κυροῖς τῶν γνωμενῶν, i. e. firmitatem, ut DIONYSIVS EXIGVVS uertit, uel quod idem est confirmationem, quod apud IVSTELLVM legitur (12), eorum quae in quaque prouincia fiunt, tribuat, per indirectum quoque usum decreti electionis stabiliuit atque confirmauit. Id quod egregie illustrat EPISTOLA SYNODICA, huius S. Synodi, quam ad Ecclesiam Alexandrinam et Episcopos Aegypti dedit (13). Namque non solum in ea mentio fit illorum, qui potestatem habent, eligendi et proponendi nomina eorum, qui in clerum eligi meruerint, sed et nominati ius confirmandi iudicium populi Episcopo Alexandriae tribuitur, his uerbis: *modo digni uideantur et populus eos eligit suffragante nihilominus plebisque iudicium confirmante Alexandrinae urbis Episcopo.* Praeterea etiam adiunt canones quidam Conciliorum hoc seculo celebratorum, ex quibus decreti nostri usurpatio probari potest. Sic OSIUS Episcopus in SARDICENSIS Concilio (14) dixit: *Etiam si talis aliquis extiterit, ut fortassis excusationem afferens adseueret quod populi litteras acceperit etc. quam excusationem tamen non admittendam esse censuit, quia populus praemiis et mercede ad-*

(11) Can. IV. (12) in Bibliotheca iuris Canon. T. I. p. 30. et 116.

(13) ap. THEODORIT, in Hist. Eccl. L. I. c. IX. cf. ZIEGL. cit. l.

§. 13.

(14) Canone II. in laudata Bibliotheca iuris can. p. 137. relatus quoque in c. 2. X. de Elect. et elect. pot.

dandas has litteras compelli potuit. Africani autem Patres in Synodo CARTHAGINENSI IV. (15) de Episcopo de loco ignobili ad nobilem transferendo ita statuerunt: *Sane si utilitas ecclesiae fiendum poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum Episcopis porrecto in praesentia Synodali transferatur.* Ex his itaque testimoniis patet, quod Metropolitanis tunc ius fuerit, decreta illa quibus populi uoluntas et sententia de electione continebatur (16) confirmandi atque diiudicandi. Sed cum et Imperatores aliquando de electionibus praecipue Metropolitanorum consulerentur, nihil dubitandum est, quin et eorum iudicio decreta electionum subiecta fuerint. Refert enim EVSEBIUS (17) tale exemplum quod paullo post Concilium Nicaen. accidit (18), ex quo haec obseruatio lucem capit. Congregata Antiochiae Synodus fuit, quae Eustathium huius ecclesiae Episcopum depositum, in cuius locum populus Eusebium Caesariensem Episcopum elegit. Recusauit ille dignitatem et res ad Imperatorem delata fuit, qui populo Antiochen. inter alia et sequentia respondit (19): *Fateor enim perlegisse me acta in quibus ex honorificis testimoniis ac praeconiis in Eusebium Caes. Ep. - - - uos in eum propensos esse comperi.* Acta igitur electionis ad Imperatorem transmissa fuerunt, in quorum numero praecipuum sine dubio fuit decretum, quod honorifica

15) Can. XXVII. ap. GRAT. c. 37. C. VII. qu. I.

16) BOEHMER. in addit. ad MARCAM. p. 42.

17) de vita Constant. M. c. LIX.

18) cf. VALESIVS in annot. ad cit. loc. EVSEBII p. m. 235.

19) EVSEBIVS c. l. c. LX.

norifica testimonia et laudes Eusebii, ut Imperator dixit,
continuit.

§. V.

Geminum huic casum apud PHILOSTORGIVM legimus (20). Narrat impius ille (quo encomio a PHOTIO saepius notatur) et orthodoxis infensissimus scriptor, Athanasium post electionem suam totius Alexandrinae ciuitatis nomine litteras de ordinatione sua ad Imperatorem dedisse, et quia illas ab uniuersa Alexandrinorum curia datas esse existimaret Imperator, electionem eius suffragio suo comprobasse. Etsi quidem haec falsissima sint, ad minimum tamen huius Seculi mores probant, secundum quos de electionibus Epp. commune cleri plebisque decretum fiebat, quod Metropolitano et Synodo, uel aliquando etiam Imperatori, praecipue si de Metropolitani electione lis erat, examinandum confirmandumque offerebatur. Plura eiusmodi testimonia ex huius Seculi historia adduci possent (21), cum uero ex his iam satis de decreti elect. observantia et praxi constet, ad Seculum quintum me conferam.

B

§. VI.

20) L. II. c. IX. 21) SOZOMENVS quidem Lib. VII. hist. eccl. c. VIII. refert, Theodosium Episcopis, de electione Patriarchae Constantinopolitani deliberantibus, mandasse, ut, quos dignos existimarent, in chartam scribant et catalogum illorum ipsi offerant. Sed nemo credo affirmabit, hunc catalogum decreto elect. nomine insigniri posse. Reseruauit enim sibi Imperator, quod saepius factum, ius eligendi unum ex iis qui in charta scripti erant, et ita Episcopis ius proponendi tantum reliquit. Accedit, quod unicuique Episcopo plures scribere licuit, quod in electione fas non est.

§. VI.

Hoc seculo quidem, plebis in electionibus ius aliquatenus imminutum et Orientalem ecclesiam ab antiqua et in Occidentali per plura adhuc secula retenta forma abiisse, P. DE MARCA (22), et BOEHMERVS (23) affirmant. Quamuis haec sententia uerissima sit, non tamen id ante CONCILIVM CHALCEDONENSE, in medio huius seculi celebratum, accidisse, neque si etiam post illud plebs non semper ad electionem praecipue in minoribus ecclesiis admissa fuerit, decretum elect. fieri desissee arbitror. Suadent id primo testimonia et au^toritates, quas ex scriptoribus huius aeu*i* et Concilio Chalced. prioribus pro confirmando plebis iure, BLONDELLVS (24) et ZIEGLERVS (25) attulerunt. Secundo et ACTA laudati Concilii in quibus saepius decreti mentio fit, id probant. In actione enim XIII. (26) ubi lis inter Nicomediensem et Nicaenum Epp. de iure Metropolitani in dioecesi Bithyniae occurrit, et cuinam ex illis ius Basiliopolitanum Ep. confirmandi competit, disceptatur, Nicomediensis inter alia argumenta pro stabiliendo iure suo et illud adfert: *Ostendo, inquit, decreta Basiliopolitanorum ubi rogauerunt de Episcopo, tu ostende obiicit Anastasio ubi rogauerunt Nicaenum ut eis daret Episcopum.* Idem quoque repetiit, in simili fere caussa

Euse-

22) L. VIII. c. V. 23) in Iure Ecclesiastico Prot. T. I. L. I. tit. VI. §. 5. et 6.
cf. quoque ISAAC. HABERTI diss. hist. de iure et more
elect. apud Graecos, quae in eius *A'ρχιεπατικῷ* seu Libro
Pontif. Ecclesiastico p. 435. seqq. inuenitur. THOMASSIN
de l'ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise P. II.
Liu. II. 24) Sect. III. p. 396. et 430. seqq. 25) L. II. c. I. §. 21.
26) ap. SEV. BINIVM T. III. Concil. p. 417.

Eusebius Ancyranus Ep. (27): *Omnis enim ciuitas ait, ad me uenit in Ancyra decreta portantes.* Sed euidentius adhuc de decreto electionis loquuntur Iudices, in sententia super controuersiam de primatu agitata in lata (28), quam integrum transcribere, quia uaria de decreti confectione notatu digna continent, non abs re fore credo. *Gloriosissimi Iudices dixerunt: Ex his quae gesta sunt, et ab uno quoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum et honorem praecipuum secundum canones, antiquae Romae Dei amantissimo Archiepiscopo conseruari.* Oportere autem sanctissimum AEpiscopum regiae Constantinopolis nouae Romae eisdem primatibus honoris et ipsum dignum esse, et potest atem habere ordinare Metropolitas in Asiana et Pontica et Thracia dioecesibus, secundum hunc modum, ut decreto facto a clericis unius cuiusque metropolis, et possessoribus, atque clarissimis viris, super haec et areuerendissimis Episcopis prouinciae, omnibus aut pluribus, eligatur is, quem praefati metropolitanae Ecclesiae Episcopi dignum esse iudicauerint: referatur autem ab omnibus eligentibus sanctissimo AEp. regiae Constantinopolis, ut penes eum sit, si uelit, hunc qui electus est aduenire, et hic ordinare, an secundum eius permissionem in prouincia, Episcopatus mereri decretum; unius

B 2

cuius-

27) Act. XVI. p. 462.

28) in modo laudata act. XVI. p. 463. et 64. cf. quoque uerba finalia canonis XXVIII. eiusdem Concil.

cuiusque tamen ciuitatis sanctissimos Epp. ordinari ab omnibus, aut pluribus prouinciae reverendissmis Epp. potestatem habente Metropolitano secundum patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus sanctissimo AEp. regiae Constantinopolis. etc.

§. VII.

Evidenter igitur ex his locis liquet, in Metropolitanarum electionibus decretum a clero et ciuibus eiusdem metropolis, una cum prouincialibus Epp. compositum, et ad Primatem dioeceseos, quales Constantopolitanus Archiep., cui in hoc Concilio ius primatus tribuitur, et dioeceses adsignantur, et Antiochenus cum Alexandrino in Oriente fuerunt, delatum fuisse (29). b). Quod Metropolitanis decreta electionum examinandi et confirmandi potestas ab antiquo illis competens, iterum confirmata fuerit. Denique c), quod adhuc tempore huius Concilii in minoribus ecclesiis, quo sine dubio Basiliopolitana et Gangrensis, de quibus in citatis locis agitur, referenda sunt, electionum decreta faciendi consuetudo obtinuerit. Sed liceat quaestionem proponere: cuius nam iudicio decreta elect. Primum fuerint subiecta? Imperatorum, sine dubio respondendum est, iudicio. Cum enim supra (30) iam demonstrauerim, Imperatores olim de Metropolitanorum

29) MARCA diff. de Primatibus §. XVII. et diff. de Patriarchatu Constantinop.

30) §. IV. et V. add. Act. XI. CÔNCIL. CHALCED. p. 404.

norum elect. cognouisse easque confirmasse, cur de Primatisbus eorumque elect. dubitemus? Extra omnem controversiam id posuit ZIEGLERVS (31), et quoad Occidentis Primatem infra ego quoque illud illustrabo.

§. VIII.

Inclinante itaque Seculo V. demum plebem ab electionibus et decreti confectione remotam fuisse concedendum. Sed non ideo statim omnis eiusdem usus simul cessauit. Personae tantum mutatae sunt, uel potius ius eligendi et decretum componendi ad pauciores restrictum fuit. Nobilibus enim et primoribus ciuitatum primariae in electionibus tribuuntur partes (32), ab iis ergo sine dubio quoque decretum compositum fuit. Et ita res ad Seculum VI. et tempora IVSTINIANI usque sese habuerunt. Donavit ille legis auctoritate hanc consuetudinem et formam eligendi nouam praescripsit. Siquidem in uniuersum primuni edixit (33): *Vt quoties in qualicunque ciuitate sacerdotalem sedem uacare contigerit, decretum fiat ab his qui eam ciuitatem incolunt, super tribus personis rectae fidei et honestae uitae, aliorumque bonorum, et uirtutum testimonium habentibus, ut ex iis idoneior ad Episcopatum promoueatur etc.* Quam legem deinde

B 3 decla-

31) L. II. c. II. §. 1. et 5.

32) CONCIL. CHALCED. A.D. XI. et XVI. LIBERAT. c. XIV.
BLONDELL. c. I. p. 430. MARCA. L. VIII. c. VI. §. 9.

33) L. 42. C. de Epp. et Cler.

declarauit et explicauit in NOVELLIS CONSTITUTIONIBVS
 (34), his uerbis: *Sancimus igitur, quoties opus fuerit
 episcopum ordinari, clericos et primates ciuitatis
 cuius futurus est episcopus ordinari, mox in tribus
 personis decreta facere, propositis eis sacrosanctis euangeliis,
 periculo suarum animarum dicentes in ipsis de-
 cretis: quia neque propter aliquam donationem, neque
 propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam
 quamlibet cauſam, sed scientes eos rectae et catholi-
 cae fidei, et honestae esse uitae, et litteras nosse, hos ele-
 gerunt: et quia neque uxorem, neque filios aliqui eorum
 habent, neque concubinam aut filios naturales cognos-
 cunt eos habuisse, aut habere: sed et si prius uxorem
 aliquis ex eis habuit ipsam et unam, et primam, et ne-
 que uiduam, neque viro coniunctam, neque legibus aut
 sacris constitutionibus interdictam, sed et quod neque
 curialem aut officialem hunc esse cognoscunt, aut si cu-
 riali uel officiali subiacet fortunae, sciunt eum in mo-
 naſterio non minus quindecim annis monasticam con-
 versationem impleuisse. Hoc quoque decretis oportet in-
 seri, quia non minus quam triginta quinque aetatis
 annos habet is, qui eligitur ab eis qui cognoscunt perso-
 nam*

34) NOV. CXXIII. c. I. et CXXXVII. c. II. quas PHOTIVS No-
 mocan. tit. VI. et XXIII. et BALSAMON. L. I. Tit. III.
 n. XLII. et Lib. III. tit. II. apud IVSTELLVM. c. I. T. II.
 recensuerunt.

nam, ut ex trium personarum pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur electione et periculo ordinantis. etc.

§. IX.

Legimus hic formulam decreti elect. solennem praescriptam, eiusque requisita accurate recensita. Iubet Imperator primo, ut per clericos ac primores ciuitatum intra sex mensium spatum componatur decretum; et quidem secundo, super tribus, uel si earum non inueniantur tres ad electionem opportunae, et super duabus et una; denique tertio, fieri id oportet praepositis S. Euangelii praestito sacramento. In decreto autem ipso electos ad episcopalem dignitatem aptos et omnibus S. Canonum requisitis praeditos esse, affirmare debent electores. Tale decretum ad Metropolitanum referebatur, cuius arbitrio relictum erat quemnam ex tribus in Episcopum ordinare uellet. His saluberrimis legibus clericorum et primorum ius eligendi Episcopos certum atque firmum reddere uoluit IUSTINIANVS, quasi futuram iam prospexit horum iurum infractionem. Sed non in eius uiribus id positum fuit, et parum post eius tempora obseruatae fuerunt hac leges (35). Potentia enim Metropolitanorum ita praeualuit, ut omnem electionem et constitutionem Epp. ad se et Synodum traxerint, et Magistratus atque plebem penitus excluserint. Quam prauam confuetudinem tandem seculo VIII. in CONCILIO II. NICAENO (36) suo calculo probarunt

35) MARCA Lib. VIII. c. VII. ZIEGLER Lib. II. c. I. §. 28. et 34.
et BOEHMER. c. l. 6.

36) Capone III.

runt atque confirmarunt, ibidem congregati patres, omnem electionem a laicis factam irritam decernentes. Sic ergo decreti elect. praxis in Oriente una cum iuribus plebis euanuit, atque desit. Quid enim facere est decretum nisi eligere est? (37) Quamuis enim MARCA Ληστον, decretum, adhuc post laudatam Synodum Episcopis solis tribui, ex NICETA PAPHLAGONE et Canone XXVIII. CONCILII CONSTANTINOPOL. VI. obseruarit, loca tamen ab eo adducta non de decreto elect. quod Ληστον dicitur, sed tantum de suffragiis quae Episcopi in Synodis dabant loquuntur, ut uel uerbum Ληστον demonstrat.

§. X.

Ad Occidentalis ecclesiae disciplinam redeo. Eam antiquos mores, praecipue uero decretum elect. retinuisse, neque formam electionum tam cito ac Orientalis, mutasse supra affirmavi. Adeo id extra omnem dubitationem positum esse persuasus sum, ut ex magna testimoniorum copia ea tantum adducam, quae decreti praxin prae alias luculenter demonstrant. Primo igitur ab Occidentalis Ecclesiae capite, Romano nempe Episcopo, initium faciam, deinde uero ad reliquarum Occidentis ecclesiarum consuetudines progrediar. Seculo V. eam in Pontificis Electione formam obtinuisse, ut post obitum eius clerus et populus ad electionem conuocarentur, et eam dirigente et assistente Praefecto Vrbi peragerent, cuius deinde erat de rite celebrata electione eiusque euentu, adiuncto relationi suae decreto ab eligentibus

37) GARNERIVS in not. ad Lib. diurn. Pontif. Rom. HOFFMAN-NVM Collect. nou. Script. atque monument. T. II, p. 37.

gentibus subscripto , ad Imperatorem referre , testatur Libellus (38) a presbyteris Romanis HONORIO et THEODO-
SIO A. A. oblatus , quo uenerabilem uirum Bonifacium ,
Episcopum subscriptentibus plus minus septuaginta pres-
byteris elegisse profitentur . Ex his summum Impera-
torum circa Pontificum electiones euincitur ius , quam-
uis BARONIVS et reliqui ecclesiae Rom. asseciae id ne-
gent . Non interrupta serie haec praxis decretum Im-
peratoribus confirmanda electionis gratia mittendi ,
continuauit , ut et Ostrogothorum Reges , qui sub finem
huius Seculi Italiam occuparunt , regale hoc ius exer-
cuerint . Ipse BARONIVS hanc rem memoriae prodidit
(39) , indigne quidem ferens tyrranidem , ut loquitur ,
Gothorum , pro confirmatione electionis a Pontificib⁹
pecuniam exigentium .

§. XI.

Eiectis Seculo VI. sub IVSTINIANO, Italia Gothis, antiqua in Vrbem eiusque Episcopum vindicauere iura Orientales Imperatores. Quibus et nemine contradicente Seculo VII. et VIII. usi sunt, uti ex LIBRO DIVRNO PONTIF. ROM. uidere licet. Collectum illum probabiliter esse IOH. GARNERIVS existimat (40) sub finem Seculi VII., uel si adhuc certius quis definiendum illud putarit, initio Seculi VIII. Quidquid sit, formularum ibidem relatarum stylus et argumenta, eas antiquioribus temp.

C usita-

38) ap. BARONIVM Annal. Eccl. T. V. ad a. 419.

39) loca eius hac de re collegit ZIEGLER L. II. c. II. §. 7.

40) in praefat. Libro diurno praemissa pag. 4. ap. HOFFMANN. iudicatae Collect. T. II,

usitatas fuisse satis probant (41). Si ergo his temporibus Pontifex, diem obiret supremum, primum fuit, ut ad Exarchum nuntius hac de re ab Archipresbytero, Archidiacono, et Primicerio Not. penes quos sede uacante regimen ecclesiae erat, mitteretur. Quo facto ad ipsam electionem procedebatur atque decretum fiebat, deinde uero litterae ad Principem et Exarchum impenetranda confirmationis gratia dabantur (42). Solennis decreti electionis formula in laudato LIBRO DIVRNO inuenitur (43), quia tamen prolixior est quam ut hoc transcribi possit, quaedam tantum loca ex illa dabimus. Si de processu in electione seruato, personis eligentium et electi, praemisso prius breui ex S. Scripturae locis more clericorum consarcinato prafamine, sequentem in modum loquuntur. *Etenim pontificalis memoriae Dno. Ill. Papa de praesentibus curis ad aeternam requiem euocato, ut assolet humanis rebus accidere,*

41) Cum enim sub finem formulae decreti elect. quae in eodem Libro extat, mensis Nouembris et indictione quinta adiecta sit, eaque optime in Bonifacii electionem quae anno 617. celebrata fuit conueniant, ut GARNERIVS cit. I. in nota c. probauit, inde rite infertur, has formulas iam tum solennes Seculum VI. attingere atque antiquissimam decreti obseruantiam probare, cf. MABILLONIVS Musei Ital. T. II. Comment. in Ord. Rom. p. CXIII.

42) Quarum litterarum formulas uidesis in cit. Libro Tit. III. et IV. sub rubris: Relatio ad Principem, uel ad Exarchum, de Elect. Pontificis.

43) Cap. II. Tit. II. p. 29. Cum qua in omnibus conspirat, decretum elec. Hadriani I. Papae quod NONANTVLENSIS Monachus in eius uita recensuit ap. MABILLONIVM in Mus. Ital. T. I. P. II. p. 40.

dere, magna nos tristitiarum moles obstrinxerat proprio dispensatore destitutos: sed non diu in afflictione nos persistere consueta DEI nostri benignitas sperantes in se dereliquit. Diuina enim nobis in oratione manentibus, ut caelestis dignatio demonstraret, quem dignum ad successionem Apostolicae uicis iubeat eligendum, eius gratia suffragante, et omnium animis inspirante, in unum conuenientibus nobis, ut moris est, id est cunctis Sacerdotibus ac Proceribus Ecclesiae, et uniuerso Clero, atque Optimatibus, et uniuersa militari praesentia, seu ciuibus honestis et cuncta Generilitate populi istius a DEO seruatae Rom. Vibis, si dici est, a paruo usque ad magnum, in personam Ill. sanctissimi huius S. Apostolicae Sedis Rom. Eccl. Presbyteri DEO cooperante et beatorum Apostolorum annisu concurrit atque consensit electio. Postea in concordia et nemine dissidente celebratam fuisse electionem scribunt, et de decreti confectione pergunt his uerbis: Cuius et decretum solenniter facientes, et desideria cordium circa eius electionem manuum subscriptionibus roborantes profitemur etc., quibus uerbis uirtutes electi subiiciunt, et tandem sic concludunt: Hoc uero decretum a nobis factum subter ut praefatum est, manibus propriis roborantes in archino Dominico nostrae S. Romanae Eccl. scilicet in sacro Lateranensi Scrinio, pro futurorum temp. cautela recondi fecimus in mense Novembrio Indictione V. Subscriptio autem decreti

C 2

sic

sic se habet : *Ill. humilis Presbyter S. Rom. Eccl. hoc decreto a nobis facto in Ill. sanctissimum Presbyterum consensi et subscripsi : similiter totus Clerus , Optimates , et Milites seu ciues subscriptibunt.*

§. XII.

Recensui hanc formulam ideo , ut ex ea , quae tunc requisita decreti nostri fuerint uideri , atque descriptio eius , quam supra dedimus , illustrari possit. Primo igitur in decreto mentio facienda fuit personarum eligentium , quales hic memorantur cuncti sacerdotes et uniuersus Clerus (44) , et Optimates milites seu ciues (45) . Secundo necessarium fuit ut ipsa electio describeretur , an unanimi consensu facta , an uero discors fuerit , an quis contradixerit , abfuerit , uel se subtraxerit , et quae sunt huius generis alia. Tertio persona electi exprimenda atque describenda fuit , an presbyter uel diaconus sit , et an reliquas Episcopi qualitates et virtutes habeat , quae iam IUSTINIANVS decreto inserere iussit , et hic quoque studiose recensentur , ita ut cum NOVELLIS supra allegatis in multis conueniat praesens formula. Denique ipsum decretum manibus eligentium propriis subscribi atque confirmari debuit. Quibus obseruatis , demum iustum atque solenne decretum elect. dici poterat , et examinandum subscribendumque Principi et Exarcho mittebatur (46). Sufficient haec

44) conf. GARNER. in notis ad uerb. ut moris est. litt. g.

45) idem in nota b. p. 29.

46) Quod ex uerbis formulae litterarum ad Iudices Rauennae , in qua dicitur : - - ut conuenientibus harum portitoribus Ill. et Ill. quos

haec de decreto in Pontificum Rom. electionibus interposito , et iuribus Impp. Orientalium , qui non obstante priuilegio CONSTANTINI POGONATI , ad CAROLI M. tempp. usque, haec iura exercuerunt (47). Sub finem enim Seculi VIII et initium IX, una cum Imperio Occidentis suprema haec in Pontificem iura , ad Imperatores Romano Germ. translata fuisse, omnibus notum est. Quae fata decretum postea habuerit et quando, Imperatoribus mitti desierit, instituti mei ratio non permittit hic pluribus describere, cum et imperialis in Papam auctoritatis strenui assertores in eo iam mihi otium fecerint, ad quos lectores remitto (48).

C 3

§. XIII.

quos cum decretalibus paginis et cum impensa supplicatione -- apud praecelsum et a DEO seruatum Dn. Exarchum destinauimus etc., concludit GARNERIVS in n. g. p. 45. Inde collige ait, *decretem electionis Exarcho missum, atque etiam Imperatori, ut subscriberetur: quae fuit approbationis nota.* add. Dissertat. eiusdem II. in App. p. 209.

- 47) Optime illud ad uerba Cardinalis DEVSDEDIT, qui hoc priuilegium : ut qui electus fuerit Pontifex e uestigio consecrare- tur absque tarditate , ex Pontificali Romano recensuit , MABILLONIVS Mus. Ital. T. I. P. II. obs. 2. p. 42. obseruauit,his uerbis : *Non tamen tunc deficit mitti decretum, tametsi ante eius susceptionem obtinebat electio.* Add. ANASTASIVS in uita Cononis Papae.
- 48) Quod adhuc hodie de electione Pontificis , pro futuorum temporum cautela decretum fiat , et in sacris scriniis reponatur , nullum dubium adest , cf. MARCELLVS in Libr. Rit. Eccl. et sacr. Cerem. Sect. I. C. VI. p.298. ap. HOFFMAN. cit. l. T. II. Sed in eo ab antiquis, moribus diuortium factum , quod Imperatores ius examinandi decretum elect. et confirmandi Pontificem

§. XIII.

Sed a Pontifice Rom. primario Occidentis ob dignitatem urbis et sedis Episcopo, ad subiectos ipsi, tanquam Metropolitano, Episcopos me conuerto. Magna et pridem iam agitata hic oritur controversia, quam late pateant dioecesos Rom., quam suburbicariam uocant, fines. Alii ut IAC. GOTHOFREDVS (49) et CLAVD. SALMASIVS (50), ecclesias suburbicarias eundem ambitum habuisse, cum prouinciis illis quae Praefecti Vrb. imperio subfuerunt, et urbicariae uel suburbicariae regiones uocatae sunt, existimant; has uero non ultra centesimum ab urbe lapidem productas fuisse contentant. Adeo arctis limitibus huius sententiae auctores totam Episcopi Rom. potestatem includunt. Alii uero, inter quos IAC. SIRMONDVIS familiam ducit (51), ampliorem Pontifici Romano dioecesin vindicant. Variis enim argumentis adstruere conantur, regiones urbicarias ultra praediū spatiū porrectas fuisse, atque plures quam quatuor prouincias quas aduersarii illis tantum ad-

ficem perdidērunt. Id quod post LVDOVICI BAV. temporenum factum fuisse existimat, Cel. OTTO, in Diff. de iure Imp. circa elect. Pontif. quae inter coniunctim editas prima est, C. II. §. 15. apud quem etiam reliquos qui de hoc arguento scripserunt Auctores allegatos inuenies.

- 49) in Conieictura, et uindiciis eiusdem, de Suburbicariis Regionibus et Ecclesiis.
- 50) in Epistola Amici ad Amicum, et Eucharistico. cf. etiam CONRING. diff. de Constitut. Epp. Germ. §. 16.
- 51) cuius scripta contra GOTHOFREDVM et SALMASIVM coniunctim edita sunt Tomo IV. Opp. edit. quae Venetiis in lucem prodiit. add. MARCA. L. I. c. III. seqq.

adsignant, comprehendisse. Sunt et qui totum mundum, uel saltim Occidentem suburbicarium faciunt, ideo quoque silentio hic praetereundi. Enimuero cum nostrum non sit tantas componere lites, sufficiat quod omnes in eo conueniant, Episcopo Rom. specialem dioecesin fuisse, qualescumque illa demum limites habuerit nihil refert. Videndum ergo an decretum electionis in illa obtainuerit. Generaliter id primum, ex decretis Pontificum, quae quamuis ad relationem aliorum Epp. quandoque facta fuerint, de consuetudine tamen ipsius Rom. Ecclesiae testantur, colligimus. Sic LEO M. in Epistola ad Viennenses Epp. (52) ait: *Per pacem et quietem Sacerdotes qui futuri sunt postulentur. Teneatur subscriptio Clericorum, honoratorum testimoniun, ordinis consensus et plebis.* SYMMACHVS uero Seculo VI. decreuit (53). *Si quis autem Episcopatum desiderat, data pecunia, potentes personas minime suffragatrices adhibeat; nec ad decretum sibi faciendum adhibito cuiuslibet generis timore compellat, uel praemis quibuslibet exhortetur.* Quibus addi potest GREGORIVS I., qui Barbaro Episcopo rescrispsit (54). *Et ideo dilectio tua ad praedictam ecclesiam properabit et assiduis adhortationibus clerum, plebemque eiusdem ecclesiae*

52) Ep. LXXXVII. c. V. quae in compendium redacta fuit a GRATIANO in c. 27. D. LXIII.

53) c. I. C. I. qu. 6.

54) Epist. XVI. Indict. VI. Lib. XI. relat. in c. 16. D. LXI. et Epist. II. Indict. X. Lib. II. c. 2. Dist. LXI.

fiae admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus ualeat reperiri, et a uenerandis Canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus cum solennitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et Dilectionis tuae ministerio litterarum, ad nos sacrandus occurrat. Adhuc magis uero illud euincunt, formulae solennes quae in antea laudato LIBRO DIVRNO, sub titulo, de ordinatione suburbicarii Episcopi a summo Pontifice, occurrunt (55). Ad reliquas Italiae partes quod attinet, nullum quidem dubium superest quod in electionibus Epp. decretum compositum et ad Metropolitanos, quorum primus fuit Mediolanensis, directum fuerit, cum ex Epistolis GREGORII et Decreto GRAT. copiosissimis exemplis illud demonstrari queat. In ipsorum uero Metropolitanorum constitutione antiqua adhuc consuetudo obtinuit, ut a Comprouincialibus et ciuibus metropolis eligerentur, ab Imperatoribus autem relatione ad illos facta, confirmarentur (56). Non dum ergo Episcopo Romano ius illud confirmandi omnes Metropolitanos qui postea AEpiscopi audierunt, competiit, quod deinde successores, in Italia primum, et hac subiugata, in reliquis prouinciis uariis artibus sibi vindicarunt (57).

§. XIV.

(55) Cap. III. p. 86.

(56) conf. ea quae de Ambrosii elest., et Episcoporum ad VALENTINIANVM ea de re facta relatione, contra BARONIVM disputauit ZIEGLER. L. II. c. II. §. 4.

(57) Quod plus simplici uice, praeципue uero L. VI. c. V. ipse MARCA fatetur,

§. XIV.

Africanas ecclesias decretum elect. adhibuisse ex Concilio CARTAGINENSI supra laudato probauimus (58), neque illas ab hac consuetudine postea discessisse credimus. In Hispania idem quoque antiquissimis temp. et ante Concilium TOLETANVM XII. quod Sec. VII. celebratum fuit, obtinuit (59). Postea autem cum Can. VI. cit. Concili (60), Regibus et Episcopo Tolet. libera constituendi omnes Episcopos potestas data fuerit, et decretum aliquandiu obsoleuit (61). Ab Hispanis ad Gallos, fortissimos libertatis ecclesiarum suarum propugnatores, transeo. Tanta hic adest testimoniorum copia, ut ea omnia non enarrare, sed praecipua ex illis indicare tantum possimus. Post GREGORIVM TVRONENSEM antiquissimum fere Gallorum scriptorem, cuius testimonia BIGNONIVS aliique dederunt (62), primum sese nobis offert MARCVLFVS Monachus, qui Seculo VII.

D Libros

fatetur, atque simul ostendit GREGORIVM iam suo tempore, nescio ex qua consuetudine, electioni Mediolanensis Ep. se immiscuisse. cf. eius Epp. XXX. et XXXI. L. II. in priori dicit: *Defuncto igitur Laurentio Eccles. Mediolanensis Episcopo, juanobis Clerus relatione innotuit, in electione se filii nostri Constantii diaconi unanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet omittam, huius idcirco praecepti auctoritate suffultum Genuam te profici si necesse est.*

58) §. IV. 59) MARCA L. VIII. c. X.

60) can. 25. Dist. LXIII.

61) BARBOSA de lute Eccl. aniu. L. I. c. VIII. n. 75. seqq.

62) in notis ad mox citandum locum MARCVLFI. cf. MARCA qui fata

Libros formularum collegit atque composuit, in quibus decreti solennem formulam, quae inscripta est: *Consensus (concessio) ciuium de Episcopatu*, suppeditauit (63). Praeterea et Formulae antiquae Promotionum Epp. a SIRMONDO editae (64) occurunt. Ipsa in electionibus quorundam Episcoporum Seculo IX. usitata decreta authentica expressis nominibus ibi inueniuntur (65). Lectu quoque digna est epistola HINCMARI REM., quam ad Cleruni plebemque Bellouacensem de forma electionum scripsit, et in eadem collectione extat (66). Prohibet enim ibi inter alia, *ut sine Visitatoris praesentia, (qui semper a Metropolitano cum consensu Regis constituebatur, et electionem dirigebat,) nemo decretum conficiat, sed demum electione illo praesente celebrata, electus cum decreto canonico Metropolitano sifteretur.*

Alias

fata elect. per singulos fere Reges Carolingiae stirpis accurate descripsit L. VIII. a cap. XI. ad XVI. usque, et CONRIN-GIVS de Constitut. Epp. Germ. §. 21. seqq. SCHILTER de Lib. Eccl. Germ. L. II. c. III. et IV.

63) Libro I. Form. VII. ap. BALVZIVM Capitul. T. II. p. 370. cf. BIGNONIVS in notis p. 887.

64) in Appendice Tom. II. Concil. Gall. ex quo illas deinde Capitul. Tom. II. inferuit BALVZIVS.

65) Qualia sunt: Decretum Hedeaulfi Laudunensis Episcopi, Aeneae Parisiensis, et Ansegisi Senonensis Episcopi. In eo fere omnia haec decreta conueniunt, quod statim ab initio: *Canonicis regulis et Apostolicis institutionibus statutum esse dicant, ut quotiens quaelibet ciuitas ministerio pontificalis dignitatis carerit, proprioque pastore uacauerit, cum decreto electionis singularium petentium manibus roborato, Metropolitanum adire Pontificem debeant, etc.*

66) Formul. IV.

Alias auctoritates adducere supersedeo, cum ex his quantum satis sit decreti in ecclesiis Gallicanis usu constet. Eodem modo in Germania nostra electiones peractas fuisse, HERM. CONRINGIVS auctor est (67). Hoc quidem uerissimum est, quod sub CAROLINGIS maiori cum libertate cleris et plebs Episcopos elegerint, atque adeo frequentior usus decreti fuerit. Sed cum sequentes Reges uel Imperatores omnem constitutionem Epp. sibi uindicauerint et episcopatus pro arbitrio concederint, uix ulla decreti componendi occasio superfuit atque permisso. Excepto forsan casu, si ecclesiae cuidam ius eligendi sibi Episcopum ex gratia dederint Imperatores (68); uel etiam si quis illas litteras decretum uocare maluerit, quibus quandoque ecclesiae supplices rogabant Imperatorem, ut hunc uel illum Episcopum ipsis concederet. Libertate uero electionum per Concordatum HENRICI V. et CALIXTI restituta (69), et decreti electionis praxis reuiuiscit (70), atque Metropolitani ius confirmandi Epp. sibi subiectos, postlimi-

D 2

nō

67) de Constitut. Epp. Germ. §. 24.

68) Quale priuilegium Herbipolensibus ab OTTONE M. concessum ex BRVSCHIO retulit CONRING. c. l. §. 44. Idem Imperator etiam Monasterio S. Maximini Treu. liberam electionem permisit, ap. LVNIG. Spic. Eccles. I. Th. Forts. p. 258, quod deinde HENRICVS S. confirmauit ap. eundem II. Forts. p. 128.

69) de quo Concordato cf. elegantissima B. I. GVIL. HOFFMANNI dissertatio.

70) Quod ex decreto elect. quod sub LOTHARIO Imp. Romana missum fuit, et ap. ANNALISTAM SAX. ad a. 1135. in ECCARDI Corpore Hist. Med. Aeu. T. I. p. 670. legitur, patet.

nio quasi recuperarunt. Ipsos autem Primate et AEpiscopos confirmandos sibi Pontifex arrogauit, nullo alio ex priscis iuribus Imperatoribus relicto, quam quod ante confirmationem et consecrationem de regalibus illos inuestire potuerint. Non diu autem hac libertate eligendi gauisae sunt ecclesiae Germ., nam eodem immo adhuc grauiori modo quam Imperatores, illam per prouisiones et reseruationes infringebant Pontifices, ita ut praxis decreti saepius interrupta fuerit in quibusdam ecclesiis. Noua ergo transactione libertas electionum restituenda fuit, quam etiam Seculo XV.
FRIDERICVS III. Imp. cum NICOLAO V. sub nomine Concordatorum Nationis Germanicae iniit. Haec ergo decreti elect. fata in Germania fuerunt. Per periodos quasi, illa tantum descripsimus, cum tot viri eruditissimi, historiam electionum earumque mutationes, a quibus omnis decreti nostri usus et obseruantia dependet, ex instituto iam dederint, quorum scrinia expilare noluimus.

S. XV.

Enarratis sic breuiter praecipuis mutationibus quas decretum elect. diuersis temporibus subiit, paucissimis adhuc ea tantum quae circa illud iuris et obseruantiae sunt recensebimus. Cum itaque omne decretum fiat de electione, in Iure canonico autem tres modi eligendi tradantur (71), ante omnia dispiciendum est, an in his omnibus decretum adhiberi queat. Per scrutinium qui primus et usitatissimus eligendi modus hodie est, si per agitur

71) c. 42. X. de Elec^{t.}. et Elec^{t.}. pet.

agitur electio, decretum fieri debere extra omnem contiouersiam est (72), et uel exinde constat, quod Pontifex a. 1655. formulam decreti in electionibus quae per scrutinium celebrantur adhibendam, in usum ecclesiarum ad tractum Rheni et inferioris Germ. edit (73). Neque etiam de electionibus per compromissum uel inspirationem factis dubitare licet (74), cum eadem adsit ratio, nimirum quia ex decreto de modo electionis constare debet, hoc autem non aliter fieri potest, quam si de omni electione quocunque modo celebrata sit, decretum componitur. Sed non incongrue hic quaeritur, an etiam in postulatione, quae in non paucis electionem imitatur, decretum fieri debet? Non dubitamus illud affirmare, praecipue si accedit ut eligibilis cum postulabili concurrat, tunc enim numeranda sunt uota, et ideo necessario instrumentum conficiendum atque a postulantibus subscribendum est, ut ex eo Superior videre possit, an uota duplo maiora adsint (75). Hoc tamen caendum, ne tale instrumentum decreti elect. nomen in fronte gerat, cum uel

D 3

hoc

72) c. 20. et 21. X. de Elect. BARBOSA de uniuerso Iure Eccl. L. I.

c. XIX. n. 228. BOEHMER. in Inst. Iuris Canon. L. I.

Tit. VI. §. 2.

73) quam uide sis apud REDN. de Elect. et Elect. Praefide T. I.

Tit. X. S. III. n. 61.

74) conf. c. 32. X. de Elect. infra a.

75) c. 40. X. de Elect. GONZALEZ TELLEZ ad c. 1. et 3. X. de

Postulat. Illustrari atque probari etiam hoc potest instru-

mento postulationis G VILIELMI EGONIS Cardinal. de

Furstenb. in AEp. Colon. ap. LONDORP. T. XIV. c. II.

p. 118. cf. etiam sententia confirmatoria elect. ibid. p. 38.

REDN. c. 1. Tit. II. Sect. IV.

hoc unicum plane non admittendi postulationem, occasionem praebere posset (76). De discordi electione adhuc adiiciendum est, quod in tali casu duo decret*a* fiant et ab utraque parte ad superiorem dirigantur. Iam GREGORII I. temp*p*. id obtinuit, qui Bonifacio defensori Corsicae rescripsit (77): *Si autem in uno consentire noluerint, sed in duorum electione se diuiserint, similiter decretis ad nos factis adueniant, ut requirentes de uita actu, et moribus eorum, is qui utilior uisus fuerit, ordinetur; quod adhuc hodie consuetudinis est* (78). In omni ergo electione decretum nostrum necessario interuenire debet, non solennitatis tantum causa, ut arbitratur BARBOSA (79), addita hac ratione, quod et scrutatores possint litteris fidem de electione facere. Sed hae scrutatorum litterae, aut nihil apud eum, qui electionem confirmat probabunt, cum omnium eligentium hoc officium sit de electione illi fidem facere, aut nihil aliud quam ipsum de-

76) arg. c. 20. X. de Ele*ct*.

77) Lib. IX. Epp. Ind. IV. Ep. LXXIV. Geminum huic locum sufficit Appendix ad IO. de BECKA Chron. Epp. Ultraiect. p. 131., et WILHELMVS HEDA, in Hist. Epp. Ultraiect. p. 265. electionem Friderici Episcopi LI. sic describit: - - sic processum ad suffragia, uterque commendatus sub contentione eligitur. Verum Fridericus longe maioribus uotis, quem idcirco Bonifacius Pontifex Rom. accepto geminae electionis decreto, reie^cto Rogerio ecclesiae praefecit tanquam aptiorem. Factum id a*o.* 1394.

78) BOEHMER. Inst. Iuris Canon. L. I. Tit. VI. §. 13.

79) ad cap. 20. X. de Ele*ct*. n. 17. et in Iure. Eccl. L. I. c. XIX. n. 229.

decretum elect. erunt. Accedit, quod ut mox monebimus, ex decreto omnis electio diiudicatur, hoc uero, si decretum pro lubitu omitti possit ab eligentibus, neque illud de forma electionis, ut BARBOSA loqui multa, esset, fieri a superiore non posset.

§. XVI.

De his autem quorum de electione decretum fit non est quod longum tractatum instituamus, cum generatim omnes, qui eligi possunt eo pertineant. In decreto uero elect. nihil aliud requiritur quam quod electi nomen, utiliter etiam dignitates, ordines, reliqua exprimantur, de ceteris enim personam eius concorrentibus inquisitio quidem et processus instruitur a confirmante, sed ex aliis documentis, non uero ex decreto elect. (80). Supersunt adhuc illi, qui decretum componunt. Hoc autem fit ab eligentibus, qui in Germania nostra a Seculo XII. ad hodiernum diem usque sunt Canonici eccles. Cathedralium (81). Omnes ergo qui eligere possunt, et ius decreti conficiendi habent. Hinc est, quod in decreto elect. semper facta legitur protestatio, ut omnes, qui excommunicati sunt, vel alio defectu canonico laborant, exeant, et eorum suffragia nulli proficiant, atque se inuicem pro ueris et legitimis talibus electores agnoscant. Ab his itaque ipsis vel eorum nomine, quod hodie plerumque fit, a Notario, qui actui electionis interest, instrumentum solenne componitur, et a singulis subscribitur atque sigillo,
quo

(80) BARBOSA de Iure Eccl. L. I. c. VIII. n. 140. u. ESPEN Iuris Eccl.

P. I. Tit. XIV. c. II.

(81) laudatus ESPEN Tit. XIII. c. II.

quo omnia decreta Capituli roborantur , munitur (82). Non subscriptum enim nihil ualeat (83). Ad superiorem deinde tale decretum impetranda confirmationis causa mittitur. Olim quidem Metropolitanorum hoc ius proprium fuit , quo tamen postea Seculo XIII. et XIV. , cum reservationibus et prouisionibus suis totam Hierarchiam turbarent Pontifices , priuati sunt. Gaudet igitur Papa hodie iure confirmandi omnes omnino Episcopos (84), siue sint Metropolitaniani , siue his subiecti , siue denique Sedi Rom. immediate subsint , quo et Principes Abbates exempti in Imperio nostro pertinent , de horum ergo omnium electionibus ad illum decretum dirigitur. Tandem et quos effectus habeat hoc decretum uidendum. Praecipuus sine dubio est , quod post publicatam et in scripturam redactam electionem , omnis potestas uariandi electoribus ademta sit (85) , quo effectu instrumentum postulationis destituitur. Secundo electus ex decreto , electionem suam probare potest , et ius in ecclesiam adquirit quod ex illo uindicare potest. Denique etiam ad illud facit , ut superior processum in electione seruatum examinare , et an electio ualeat iudicare possit (86).

§. XVII.

83) cf. supra §. XIII. not. 57.

84) ESPEN Tit. XIV. c. IV. §. 5.

85) c. 21. et 58. X. de Elect. ibique BARBOSA et GONZALEZ
TELEZ.86) cf. Breue confirmatorium electionis JOSEPHI CLEMENTIS
in AEp. Col. ap. LONDORP. T. XIII. c. ult. n. 21.

§. XVII.

Non solum autem in ecclesiasticis utilitatem suam exerit decretum elect. sed et in iis quae ad publicum pertinent statum. Etenim Principes ecclesiastici si inuestituram de regalibus petunt, inter alia documenta, et decreta electionum sigillo Capituli roborata, producere debent, ut de electione ipsorum Imperator certus sit atque securus (87). Apud Protestantes idem quoque obseruatur, quamuis enim eorum Episcopi postulari tantum, non eligi dicantur, neque eorum electio confirmetur (88), instrumentum tamen ad antea dictum usum et maiorem cautelam, de electionibus eorum componitur. Praecipue uero in electionibus Abbatissarum Protest. usitatum est hoc decretum, siquidem hae magis regulis Iuris canonici adstrictae sunt (89).

T A N T V M.

87) MOSER Einleitung zum Reichs-Hoffraths-Proces. P. III. c. 4.

§. 71. p. 521. BOEHMERI. E. P. T. II. L. III. Tit. XX. §. 97.

88) Idem T. I. L. I. Tit. V. §. 7. et 8.

89) extat instrumentum electionis Abbatissae Quedlinburghen. ap. FABR. in der Staats-Canzlei T. XIV. C. VI. p. 479. litt. H.



E

COROL-

COROLLARIA.

I.

Non fortiori nititur fundamento sententia eorum, qui Principibus et Magistratibus inspectionem in res tutelares, tanquam supremis Tutoribus vindicant, quam illorum opinio, qui ius circa sacra Imperantibus, non ex alia caussa quam quia Episcopi sint, tribuunt.

II.

Vix ergo instrumentum illud, quod Tutorium vocant, mandatum de suscipienda nomine Magistratus tutela, vocari meretur. Neque tutores eo gaudent honore, ut uicarii vel mandatarii sint Magistratum.

III.

Variis adhuc dubiis obnoxium est axioma Doctorum Iuris criminalis: Magis expedire decem absolu reos, quam innocentem uel unum condemnari, cf. L. s. π. de Poenis.

PRAE-

PRAENOBI LISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOM. CANDIDATO

S. P. D.

WOLFG. ALBERT. SPISIVS
ICTVS H. T. DECANVS.

Haud impetrare a me possum , ut sine
gratulatione dimittam TE , PRAENOBI
LISSIME DOM. CANDIDATE , quem nouis
honoribus decoratum omnes , qui TE no-
runt , uotiis acclamationibus prosequuntur.
Omnes enim , qui TE norunt , norunt etiam
mentis TYAE bonitatem , morum suauita-
tem , eruditionis praestantiam , simulque
testantur , TE ad gloriam uirtutis uia grassa-
ri ,

ri , ac proinde industriae TVAE praemia iam
pridem promerita iure quodam TVO nunc re-
portare. Maxime uero praeclaram eruditio-
nem TVAM cognitam perspectamque habet
Ordo Noster , cui in examinibus pro more
subeundis studiorum rationem reddidisti , qui-
que propterea de tam eximio Iuris Candida-
to summis honoribus dignissimo merito gau-
det. Quamobrem et ego , cui uirtutes TVAS
propius intueri haec tenus licuit , hos honores
ex animo TIBI gratulor : et quemadmodum
certissime sperare non tantum sed et augurari
possum , TE Rei Literariae aequae ac Publi-
cae magno ornamento emolumentoque futu-
rum , ita DEVVM IMMORTALEM pre-
cor , ut TE saluum florentemque semper
praestet , omnes labores TVOS atque institu-
ta porro fortunet , TIBIQUE eruditionis ac
uirtutis TVAE fructus largiatur uberrimos
iucundissimosque. Vale , iterumque uale.
Scrib. d. 21. Aprilis A. S. R. CCCCCXXXII.

164253


VD 18

ULB Halle

006 830 285

3





B.I.G.

Farbkarte #13



TATIO INAVGVRALIS
DE
ECRETO
DE ELECTIONIBVS
COPORVM FIT
QVAM
ICTORVM ORDINIS
CONSENSV
LICENTIA
VTROQVE IVRE HONORES
CAPESSENDI
M XXIV APRILIS MDCCXXXII
ERVDITORVM EXAMINI
SISTIT
CASPARVS BIRCKNER
ORIMBERGENSIS
ALTORFII NORIC.
GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.